IL MONITORE ECCLESIASTICO
Anno LVI - Serie V - Vol. III - Fasc. V - Maggio 1931

SOMMARIO: **ATTI DELLA SANTA SEDE. Atti del Sommo Pontefice Pio XI.** *Motuproprio* circa la visita dei seminari, p. 129. - **Suprema S. C. del S. Officio.** Notifica di ritrattazione, p. 130. - **S. C. del Concilio.** *Romana et aliarum.* Circa il 2% e le distribuzioni, p. 130 - **S. Penitenzieria Apostolica.** Decreto circa la *Via crucis* per parte di infermi, p. 131. - **S. R. Rota.** *Taurinen.* Di diritti, tra una collegiata e il curato, p. 131. — **LEGGI CIVILI-ECCLESIASTICHE** p. 150. — **QUESITI MIMORI** (n. 22-28). p. 154. — **CRONACA ECCLESIASTICA** p. 157. — **RECENSIONI**, p. 160.

ATTI DELLA SANTA SEDE

Atti del Sommo Pontefice Pio XI.

Si indice la visita apostolica permanente dei Seminari, cominciando dall'Italia, e si costituisce all'uopo l'ufficio di Visitatore Ordinario. [« A. A. S. », XXIII, pag. 151].

Motu proprio — PIUS PP. XI. - Praecipua sane inter pastorales muneris Nostri partes ea adnumeranda est, qua efficere contendimus ut sacra clericorum Seminaria cum gravissimo ipsis praestituto fine magis aptiusque in dies conveniant; ut scilicet adolescentes, qui in eadem recepti sint, quam diligenter ad vitae sanctimoniam atque ad sacras disciplinas formentur, utpote qui Dei viventis altaribus inservire, ac christifidelium magistri pastoresque evadere aliquando debeant.

Quapropter instantibus ad Deum profusis precibus, maturaque deliberatione adhibita, necnon Sacrae Congregationis de Seminariis Studiorumque Universitatibus explorata sententia, peculiare in eodem Sacro Consilio, et sub eiusdem regimine, munus condere decrevimus, et per has Litteras motu proprio datas condimus, viro ecclesiastico committendum, qui Visitator Ordinarius proprio nomine nuncupabitur, cuique curae sit Seminariorum Italiae (ab his enim, ut par est, incipiendum censemus) visitationem peragere.

Cum autem inter Italiae Seminaria ea, quae Regionalia seu Interdioecesana dicuntur, singulari quodam titulo, ad Sanctam Sedem pertineant, ideo iubemus ut eadem, omnia et singula, saltem quotannis ab Ordinario Visitatore inspiciantur.

Visitator hic Ordinarius alterum post Secretarium in eadem Congregatione dignitatis locum obtinebit, atque inter Consultores eiusdem Congregationis ipso iure numerabitur.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXIV Aprilis anno MDCCCCXXXI, Pontificatus Nostri decimo.

PIUS PP. XI

Suprema Sacra Congregazione del Santo Officio.

Comunicato. – Sua Eccellenza Rev.ma Mons. Mario Sturzo, Vescovo di Piazza Armerina, dietro richiamo della Sacra Congregazione del S. Offizio, ha inviato la seguente

RITRATTAZIONE. « Io sottoscritto intendo di ritrattare, come di fatto ritratto colla presente, tutto ciò che ho scritto e pubblicato nei libri, nella « Rivista di autoformazione » e nella rivista « La Tradizione » di Palermo contro la dottrina cattolica e contro ciò che la Santa Sede e i Sommi Pontefici, specialmente negli ultimi tempi, hanno inculcato, raccomandato e comandato per lo studio della Filosofia scolastica nei Seminari, in conformità anche del canone 1366.

« Piazza Armerina, 8 aprile 1931.

(firmato) « † MARIO, Vescovo ».

Sacra Congregazione del Concilio.

Circa la tassa ecclesiastica del 2 % e le distribuzioni corali. [« A. A. S. », XXIII, pag. 165](1).

Romana et Aliarum. – Cum quaestio exorta sit, an quotidianae distributiones capitularium subsint taxae seu tributo vulgo *due per cento* pro administratione dioecesana aliisque operibus dioecesis, ad normam articuli 57 Instructionum, quas haec Sacra Congregatio Concilii die 20 Iunii 1929 edidit, res proposita est solvenda in plenariis Em.orum Patrum eiusdem Sacrae Congregationis comitiis, die 16 Martii 1931 habitis, sub dubio: « An distributiones quotidianae obnoxiae sint tributo, de quo in articulo 57 Instructionum diei 20 Iunii 1929 circa bona ecclesiastica ». Porro iidem E.mi Patres ad propositum dubium respondendum censuerunt: « *Negative*, seu distributiones quotidianas, et, si omnes beneficii reditus distributionibus constent, tertiam earundem partem, tributo de quo agitur non esse obnoxias ».

Hanc autem resolutionem Ss.mus Dominus noster Pius Pp. XI in audientia diei 18 subsequentis, subscripto Secretario concessa, approbare et confirmare dignatus est.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 20 Martii 1931.

I. Card. SERAFINI, *Praefectus.*

L. ✠ S. I. Bruno, *Secretarius.*

(1) Cfr. fascicolo precedente del « Monitore », pag. 123 (n. 21).

Sacra Penitenzieria Apostolica.

Si facilita grandemente agli infermi l'acquisto delle indulgenze per la Via Crucis. [« A. S. A. », XXIII, pag. 167].

Decreto. – Devotam Passionis S.mi D. N. I. C. recordationem per pium, quod vocant, exercitium *Viae Crucis* maximo infirmis esse solamini, qui spirituali eorum adsistentiae dant operam unanimiter testificantur. Ad excitandos igitur ad tam salutarem praxim eos quoque qui a praefato pio exercitio regulariter peragendo aegritudine impediuntur, Ss.mus D. N. Pius Pp. XI, instante infrascripto Cardinale Maiore Poenitentiario, in audientia diei 20 currentis mensis, benigne concedere dignatus est ut infirmi qui pium exercitium *Viae Crucis* nec in forma ordinaria nec in forma statuta a Clemente XIV die 26 Ianuarii 1773, per recitationem scilicet viginti *Pater, Ave et Gloria*, absque gravi incommodo vel difficultate peragere valeant, omnes et singulas indulgentias, eidem pio exercitio quomodocumque adnexas, lucrari possint vel osculando vel etiam tantum intuendo, cum affectu et animo contrito, in aliquem Crucifixum ad hoc benedictum, eis vel a sacerdote vel ab aliqua alia persona exhibitum, et recitando brevem aliquam orationem vel precem iaculatoriam in memoriam Passionis et mortis Iesu Christi Domini Nostri.

Praesentibus absque Brevis expeditione in perpetuum valituris, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Sacra Poenitentiaria, die 25 Martii 1931.

L. Card. Lauri, *Poenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. I. Teodori, *S. P. Secretarius.*

Sacra Romana Rota.

Circa la ricostituzione di una collegiata e i diritti reciproci del parroco e dei canonici (1).

Taurinen. – *Jurium* (Panero – Del Bosco). 2 Ianuarii 1930. — Anno 1622 Apostolicis Litteris sub plumbo quarto idus decembris datis, quarum initium « Quemadmodum operosi » ad preces E.mi Viri Mauritii a Sabaudio,

(1) Nell'indirizzo al Santo Padre nell'inaugurazione dell'anno giuridico, 1° ottobre 1930, fu fatta speciale menzione di due sentenze date dalla Rota per le collegiate di Giaveno e di Carmagnola. Crediamo utile pubblicarne le motivazioni nel testo originale, sebbene questo non sia ancora apparso negli « Acta Ap. Sedis », essendo veramente istruttivo per la molteplicità dei dubbi risoluti: un semplice riassunto, come i lettori ben vedranno, non era possibile, data la loro concisione. Omettiamo solo alcune ripetizioni inevitabili nel testo ufficiale.

qui Monasterium S. Michaelis de Clusa Ordinis S. Benedicti Nullius Dioecesis intra fines Taurinensis Provinciae in commendam obtinebat, Gregorius PP. XIII paroecialem ecclesiam S. Laurentio Martyri in oppido vulgo Giaveno sacram in Collegiatam erexit.

Decem Canonicis, quorum unus Canonici Theologi munera explere debebat, nova Collegiata constituta fuit et unica Dignitate seu Praepositura, pro uno Praeposito, qui eiusdem Collegiatae et illius Capituli caput esset, curamque animarum parochianorum eiusdem ecclesiae principaliter exerceret, adiuvandus tamen in paroeciali munere a duobus Capellanis. Quin imo constituit Pontifex ut et Canonici omnes fidelium confessiones eadem in Collegiata excipere deberent, ideoque decrevit ut nonnisi praevio examine coram tribus examinatoribus canonicatum obtinerent, et vel iam in Presbyteratus ordine constituti, aut in ea aetate, ut intra annum ad illum promoveri possent. Saeculo autem octavo decimo ad alterius Abbatis Commendatarii preces nempe viri E.mi Hyacinthi Gerdil, Constitutione Apostolica Pii PP. VI anno 1782 tertio idus septembris data, quae incipit « Supremi Patrisfamilias » collatio omnium canonicatuum Collegiatae et Paroecialis ecclesiae loci Giaveno legi concursus subiecta fuit.

Pro dote vero noviter erectae Collegiatae Gregorius PP. XIII praevia in ea nominis tituli et denominationis Rectoris Plebani perpetua suppressione et extinctione, bona omnia cuiusvis generis constituit et attribuit quae ad Monasterium S. Michaelis de Clusa pertinebant, non exclusis redditibus praecipue Beneficii Prioratus de Bagnolo nuncupati Vercellensis dioecesis mensae conventuali uniti, nec non Prioriae, Infirmariae, Sacristiae Thesaurariae atque Eleemosynariae « quae alias in dicto Monasterio officia claustralia existebant » – ita sane legitur in Bullam – aliorumque officiorum, quae pariter eidem conventuali mensae unita et annexa fuissent, praevia etiam illorum perpetua suppressione et extinctione.

Ex hisce omnibus redditibus, quos inter numerantur in Gregoriana Constitutione quoque decimae et emolumenta etiam mortuariorum, sepulturarum, anniversariorum, noluit Pontifex ut totidem constituerentur praebendae quot constituerat Dignitatem et Canonicatus, sed praecepit ut certis quibusdam adimpletis oneribus et solutis expensis pro ecclesiae cultu et fabrica, « quod residuum erit omne in quotidianas distributiones erogaretur a Praeposito et Canonicis lucrandas, ita tamen ut Praepositus unam portionem et quartam partem portionis ultra emolumenta ex pede altaris proventura et alios reditus parochiales, et Theologus unam partem et quartam portionis partem, singuli vero Canonici unam tantum portionem perciperent, absentium autem et non interessentium portiones vel fallentiae praesentibus et interessentibus accrescerent ».

Erectionis Bulla a Vicario Generali Taurinensis Archiepiscopi exsequutioni demandata fuit. In capitularibus vero statutis quae, paulo post Collegiatae erectionem, idem Cardinalis Mauritius e Sabaudia condidit, de canonicis legitur eos non modo posse vel debere vel Christifidelium in ecclesia vel infirmorum in parochia confessiones excipere, « quoties opus fuerit pro servitio animarum ad mandatum Praepositi et eo absente, Praefecti Chori »; sed etiam iisdem Christifidelibus alia sacramenta administrare, ea quidem

sub lege ut « qui curam animarum exercebunt quae ecclesiae imminet, dum tamen sunt in actu administrandi eadem sacramenta » choro tamquam praesentes haberentur.

Duobus fere elapsis saeculis sub initio nempe saeculi undevigesimi idest anno 1803, ob temporum iniuriam Capitulum decreto E.mi Card. Caprara Pii PP. VII Legati a latere suppressum fuit. At post octo et viginti annos, vigore rescripti S. Congr. Concilii diei 13 martii a. 1830, ad vitam iterum revocatum fuit decreto diei 25 iunii eiusdem anni Taurinensis Antistitis Columbani Chiaverotti, reducto tamen aliquantulum Canonicorum numero. Hi enim praeter Praepositum septem esse debebant, quos inter Canonicus Theologus.

Deinde in historia Javensis Capituli nostra saltem quod attinet, nil memoria dignum habetur ad annum usque 1855, quo iterum, auctoritate tamen civili, suppressum fuit. At rursus ipsum revixit anno 1890 decreto E.mi Archiepiscopi Taurinensis Alimonda diei 15 martii, qui necessariam hac super re facultatem ab Apostolica Sede petierat et obtinuerat rescripto S. Congr. Concilii diei 28 novembris a. 1889. Illud autem animadvertere operae pretium est neque in una neque in altera Capituli Javensis suppressionibus penitus ipsum desiisse. Legitur sane in decreto diei 25 iunii a. 1830 quo primum Javense Capitulum ad vitam revocatum fuit, fuisse ipsum a Taurinensi Archiepiscopo restitutum « ad normam sibi ab ipso Romano rescripto praefinitam, ut nempe vigens censeatur et sit Constitutio "Supremi Patrisfamilias" a Pio VI Pont. Max. tertio idus septembris a. 1782 data; qua forma vacantes huius Collegiatae Canonicatus conferendi praescribitur, et in praesentiarum octo tantum Canonici sint de mensa Capitulari participantes, Praepositus nempe principalis et unica Dignitas, Theologus, Custos, Cantor aliique primaevae institutionis tres, et illi qui iuris patronatus laicalis habetur ». Legitur pariter in decreto E.mi Alimonda: « . . . Noi ci siamo proposti di concorrere come meglio ci è dato all'ordinamento della rifatta Collegiata, ed a tale scopo ci siamo muniti di speciale apostolica autorità con rescritto della S. Congr. del Concilio, dato in Roma li 28 novembre 1889. Ed ora volendo dare esecuzione a tale benevolo rescritto colle presenti nostre lettere dichiariamo, che nella prefata Collegiata di S. Lorenzo in Giaveno, oltre l'unica Dignità di Prevosto ed il Canonicato antico superstite posseduto dal Can. Teologo Sebastiano Cappello, sono debitamente eretti due Canonicati ecc. ».

Itaque quamvis Javense Capitulum qua tale seu in sua iuridica entitate idem permanserit, nihilominus Canonicorum onera in pluribus, in vim, decreti E.mi Taurinensis Archiepiscopi Alimonda, immutata fuere. Hodierni namque Canonici iuxta fundatorum Canonicatuum voluntatem Praeposito opem praestare tenentur non modo in confessionibus fidelium etiam infirmorum excipiendis prouti in veteribus Capituli statutis fuerat constitutum, sed etiam in tradenda catechesi sive adultis sive pueris et in praedicatione verbi Dei. Insuper ex Canonicis duo praeter Praepositum et hebdomadarium singulis festis diebus missam celebrare tenentur in ecclesia Collegiata pro fidelium commoditate, ideoque horis a Capitulo proponendis et ab Ordinario approbandis. Ne tamen hisce oneribus nimis gravarentur Javenses Canonici, eo

vel maxime quod ipsis et vacationum tempus ad duos menses coarctatum est, Em.mus Alimonda eodem decreto eos ab onere solvit recitandi quotidie horas matutinas cum laudibus. Reddituum quoque divisio ab E.mo Alimonda immutata est. Dum enim iuxta Gregorii XIII Constitutionem redditus omnes Capituli Javensis in quotidianas distributiones erogandi erant, hodierni Canonici habent singuli propriam peculiarem praebendam, cuius tantum tertia pars ad iuris normam in massam communem immittitur pro quotidianis distributionibus. Hisce exceptis in reliquis praecepit idem E.mus Alimonda in fine sui decreti ut antiquae servarentur constitutiones capitulares.

In hac rerum conditione mirabitur nemo aetatum decursu Praepositum inter et Canonicos vel ratione curae animarum vel aliis de causis dissentiones et lites exortas fuisse, quae tamen recentiori aevo ac praesertim sub actuali Praeposito Rev. D. Antonio Del Bosco acriores effectae sunt. Hinc anno 1921 sub die 13 decembris, Canonici Petrus Panero, Portigliatti, Rolla et Oddone supplicem ad Em.um Taurinensem Archiepiscopum dederunt libellum, quo Praepositum Antonium Del Bosco et ceteros Canonicos Barone, Baudino et Ughetti eidem Praeposito adhaerentes in ius rapuerunt, simulque institerunt ut quaestiones omnes dirimerentur de quibus ipsos inter et alteros disputabatur, et quarum potiores eaedem sunt quae S. N. T. propositae deinde fuerunt. Placuit partibus litem per arbitros dirimere ad tramitem canonis 1929. In arbitros electi fuerunt Rev.ndi D.ni Aloysius Condio, Petrus Corgiatti et Aloysius De Alexandris, iidemque suam sententiam protulerunt die 24 maii anno 1923, qua fere in omnibus pro Capitulo contra Praepositum steterunt. Cum itaque eadem sententia a Taurinensi Curia sub die 12 iulii eodem anno 1923 exsequutioni demandata fuerit, ab eadem Praepositus Del Bosco, et Canonici Baroni et Baudino (Canonicus Ughetti interim supremum diem obierat), ad S. N. T. die 21 iulii appellaverunt.

Quaestio tunc inter partes orta est num appellatio admitti nec ne deberet, cum Canonici actores exceperint agi in casu de sententia arbitrali, a qua nefas est appellare. Proposita hac quaestione per Memoriale die 26 martii anno 1924 resolutum « fuit: Exceptionem oppositam ... esse reiiciendam atque procedendum esse ad ulteriora. »

Tunc ad Canonicorum actorum instantiam processus confectus est super controversorum iurium observantia.

Hisce igitur absolutis, quaeritur hodie:

1. An per decretum diei 15 martii 1890 nova constituta fuerit Collegiata, vel potius antiqua Collegiata nondum extincta restituta fuerit, ita ut nunc decreto antiquae fundationis et veteribus constitutionibus, salvis vero immutationibus eodem decreto anni 1890 inductis, regatur in casu.

2. An Capitulo spectet cura habitualis, Praeposito vero, exclusis omnino Canonicis, cura tantum actualis, in casu.

3. Quaenam sint sive iura sive emolumenta quae quoad funera respective spectent Capitulo et Praeposito qua parocho, in casu.

4. An Capitulo vel Praeposito qua parocho isu sit recognoscendum repraesentandi paroeciam, in casu.

5. An congruae supplementum sit proprium Praepositi aut sit attribuendum Capitulo ut inter Canonicos distribuatur, in casu.

6. Utrum Capitulo an Praeposito qua parocho, spectet regimen ecclesiae Collegiatae et administratio sive oblationum quae in ea colliguntur, sive legatorum etiam paroeciae inscriptorum, iis exceptis quae respiciunt functiones paroeciales, in casu.

7. An Praepositus qua parochus ius habeat celebrandi sive in ecclesia Collegiata sive in aliis ecclesiis intra paroeciae limites existentibus, functiones non stricte paroeciales, in casu.

8. An Praepositus absque Capituli venia possit sacra peragere quae ad ipsum privative qua parochus spectant in Altari maiori ecclesiae Collegiatae, in casu.

9. An iuxta decretum diei 17 novembris 1890 Canonici etiam diebus festis quibus Praepositus celebrat missam conventualem, celebrare aut ordinare teneantur duas tantum missas in ecclesia Collegiata, in casu.

10. An Praepositus durante sua hebdomada possit ad suas vices gerendas in choro alium delegare Canonicum qui teneatur et ipse ad chorale servitium obeundum aut alium sacerdotem licet non Capitularem, quin amittat distributiones quotidianas, easdemque distributiones suas facere, quando celebrationi missae non adsit, in casu.

11. An ex massa communi antequam inter Capitulares dividatur detrahendum sit in favorem uniuscuiusque Canonici canon pro domus conductione, in casu.

12. An Praeposito ius sit praecipiendi ut Canonici eum adiuvent tempore Quadragesimali in catechesi tradenda hora qua choro adesse deberent, quin tamen iidem distributiones amittant, in casu.

13. An et quibus distributionibus Canonici ius habeant tempore vacationum, in casu.

I. Exordiamur itaque a primo dubio; de quo tamen pauca innuere sufficiet. Equidem vero nec ipsae partes in causa, etsi ambae hoc primum dubium proposuerint, amplius hac super re dissentire inter se videntur. Et iure merito. Edicitur sane in canone 102: « Persona moralis natura sua perpetua est; extinguitur tamen si a legitima auctoritate supprimatur, vel si per centum annorum spatium esse desierit. *Si vel unum ex personae moralis collegialis membris supersit, ius omnium in illud recidit* ». Ex canone autem 392 scimus uti institutionem seu erectionem, ita innovationem, ac suppressionem Capitulorum tum Cathedralium tum Collegiatarum, uni Apostolicae Sedi reservari. Age igitur: Ecclesia Collegiata S. Laurentii Martyris loci « Giaveno » suppressa quidem fuit ob temporum iniuriam anno 1803 ab. E.mo Card. Caprara Pii PP. VII Legato; at restituta in pristinum fuit paulo post seu anno 1830 eadem Apostolica auctoritate et ita quidem ut non alia esset ac illa quae a Gregorio PP. XIII erecta fuerat et deinde confirmata ab Urbano PP. VIII, cum una tantum immutatione, quod Canonicatus conferendi essent per concursum, prouti de cetero iam statuerat Pius PP. VI constitutione « Supremi Patrisfamilias » tertio idus septembris anno 1782 ata. Capituli autem suppressio civili auctoritate anno 1855 decreta evidenter nil officit, tum ob potestatis defectum hisce super rebus in civilibus auctoritatibus, tum quia de facto Capitulum extinctum non fuit sicuti ex decreto diei 15 martii anni 1890 E.mi Alimonda Archiepiscopi Taurinensis

in specie causae enucleanda memorato patet. Hoc vero decreto quo novi Canonicatus erecti fuerunt, mutata quidem fuerunt Canonicorum onera eorumque dotationem; at Capitulum qua ens Collegiale idem permansit, sicuti adhuc in vigore perman serunt vete res eius Const itutiones, prouti expresse eodem in decreto legitur et relatum supra est in causae specie.

II. Ex solutione primi dubii prono veluti alveo solutio alterius consequitur, quod ita se habet: « An Capitulo spectet cura habitualis, Praeposito vero exclusis omnino canonicis cura tantum actualis in casu ». Notum namque est quoties eadem ecclesia sit una simul Collegiata et paroecialis, ex iuris praesumptione habitualem curam pertinere ad Capitulum, nisi ex fundationis tabulis alius probetur. « Eo namque ipso quod ecclesia curata est collegialis – tradit ad rem Pignattellius (« Cons. Can. », tom. IX cons. 150. n. 1 et 5) – eiusmodi cura pertinet de iure ad Capitulum, non attento quod exercitium sive administratio curae demandetur vicario perpetuo vel alicui Dignitati, nam adhuc habitu a Capitulo non aufertur.... Est enim regula quod cura adnexa Collegiatae spectet habitu ad ipsum Capitulum, actu ad personam quae illius curae exercitio praeficitur ». Nec aliter Pitonius (« Discept. Eccles. », 45, nn. 3–4): « In ecclesiis Collegiatis cura habitualis *de iure* spectat ad Capitulum, et solum actualis ab Archipresbytero exercetur ».

Hinc in nota causa *Salutiarum – Jurium* – coram Many, diei 1 iulii 1913 aperte edicitur: « Quando aliqua ecclesia est simul Collegialis et Parochialis, undecumque proveniat haec collegialitatis et parochialitatis in eadem ecclesia coniunctio, cura habitualis est in Collegio seu Capitulo » (S. R. Rota, vol. V. pag. 390, n. 11). Nec aliter in *Fesulana* pariter *Jurium*, coram Lega, diei 17 martii 1914, in qua eadem memorata praesumptione additur: « Vim praehabitae regulae favore Collegiatae esse firmissimam et fundatam in communi doctrina et iurisprudentia » (S. R. Rota, vol. VI, pag. 126, n. 6). Quin imo cum in causa *Salutiarum* a Rotalibus sententiis provocatum fuisset ad Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, E.mi Patres de eodem principio binis in rotalibus sententiis statuto edixerunt principium ipsum esse legitimum. Investigandum proinde est an ex tabulis fundationis Collegiatae aliter sentiendum sit.

I amvero in Bulla Gregoriana nihil invenitur quod memoratae praesumptioni absit seu eam vincat. Eadem enim ecclesia S. Laurentii Martyris quae erat paroecialis erigitur in Collegiatam, ita ut eadem ecclesia una simul et Paroecialis sit et Collegialis. Quare eadem in Bulla Praeposito cura animarum parochianorum *illius* seu Collegiatae ecclesiae S. Laurentii M. tribuitur. « Nos igitur – ita sane legitur in Bulla – discretioni tuae.... mandamus quatenus, vocatis qui fuerint vocandi, parochialem Ecclesiam praedictam (S. Laurentii in oppido Giaveno), praevia in ea nominis tituli et denominationis Rectoris Plebani nuncupati perpetua suppressione et extinctione, in Collegiatam ecclesiam..... et in ea unam Praeposituram principalem et unicam Dignitatem pro uno Praeposito qui caput ecclesiae Collegiatae sic erigendae et illius Capituli.... existat.... curamque animarum *illius* parochianorum exerceat..... quem tamen duo Capellani coadiutores nuncupandi in exercitio curae huiusmodi coadiuvare teneantur nec non.... decem Canonicos..... auctoritate Nostra perpetuo erigas et instituas ».

Idem eruitur ex veteribus capitularibus constitutionibus, in quibus, statuto in capite V veluti choro praesentes eos Canonicos habendos esse « qui curam animarum exercebunt », statim subiungitur « quae Ecclesiae imminet »; non igitur Praepositurae saltem eodem sensu, sed Capitulo quod Ecclesiam repraesentat.

In ipsis proinde publicis documentis in actis nempe Synodi dioecesanae et dioecesanae visitationis itemque in Apostolicis Litteris collationis Praepositurae, postremis non exceptis quibus in Praepositum nominatus est hodiernus Capituli Javensis praeses, ecclesia S. Laurentii Martyris oppidi Giaveno veluti Parochialis et Collegiata una simul designatur. Quod verum adeo est ut appellantes ab Arbitrorum sententia seu ipsemet Praepositus Antonius Del Bosco primo loco a S. N. T. petierint, « che la Collegiata di Giaveno debba chiamarsi non Collegiata Parrocchiale, ma semplicemente Collegiata di San Lorenzo Martire ».

Formulae ipsae quibus in Gregoriana Constitutione Praeposito cura committitur parochianorum ecclesiae S. Laurentii M. demonstrant non universam sed curam tantum actualem fuisse ipsi concreditam. Sane dicitur de Praeposito, prouti relatum paulo ante est, quod Ecclesiae Collegiatae et illius Capituli caput existat, « curamque animarum illius parochianorum exerceat », itemque, « in exercitio curae huiusmodi duo illi Capellani coadiutores assignantur ». Atqui notum est in hoc actualem curam consistere et ab habituali distingui, quod illa sit curae exercitium. « Ille dicitur habitualem dumtaxat curam habere, qui de facto illam nec *exercere* valet », ita ad rem Bouix, *De parocho*, Pars I, sect. B, cap. I, ed. 1867, pag. 178, « sed tantum aliquatenus potest et debet providere ut per aliquem sub vicarii nomine *exerceatur* ». Nec aliter Wernz, « Jus Decret. » tom., II, n. 821, 11: « Illis (parochis habitualibus) cura animarum nec de facto nec de iure *exercenda* competit, sed tantum possunt et debent providere ut per aliquem vicarium *exerceatur* ». Quapropter plane intelligitur in edictis concursus pro conferenda Praepositura explicite declaratum fuisse eidem Praepositurae esse « adnexam actualem curam animarum », seu consequenter Praepositum in cura animarum exercenda esse Capituli vicarium.

Crescit vis allati argumenti eo quod ita in Bulla erectionis Collegiatae curae exercitium parochianorum ecclesiae S. Laurentii M. Praeposito committitur, ut illud *principaliter* ipse exercere teneatur tum quia ex integro actualis cura Praeposito concredita est, tum relate ad Canonicos, qui prouti mox videbitur ex parte et in Praepositi adiutorium de eadem actuali cura participabant. Idem in primaevis capitularibus constitutionibus repetitur, in quibus de Praeposito iterum dicitur quod curam *principalem*, parochianorum oppidi Giaveno *exercet*. Atqui vel si detur, cum de animarum cura agitur quae alicui beneficio sit adnexa, adverbium *principaliter* usurpari posse ad universam curam habitualem nempe et actualem significandam, prouti tradit De Luca, *De Benef.*, disc. 95, 13, illud tamen certum est admitti id in casu non posse, in quo non cura animarum in genere Praeposito committitur, sed curae exercitium quo nonnisi actualis cura exprimitur.

Nec in Apostolicis Litteris erectionis Collegiatae de Plebanali beneficio quod ex adverso servatum fuisse contenditur, alia habetur mentio nisi ut

declaretur Collegiatae erectionem decerni « praevia in ea (ecclesia S. Laurentii M.) nominis, tituli et denominationis Rectoris Plebani nuncupati perpetua suppressione et extinctione ». Nam verum quidem est Apostolicis iisdem Litteris Praeposito attribui, praeter portionem redituum capitularium, « emolumenta ex pede altaris proventura et alios redditus parochiales »; at num postremis hisce redditibus illi significentur beneficii Plebanatus perspicuum certe non est, eo vel magis quod ex capitularibus reditibus Praeposito pinguior portio prae illa ceteris canonicis assignata, uno excepto Canonico Theologo, attributa est, et quod reditus omnes et bona ad Monasterium S. Michaelis de Clusa spectantia mensae capitulari noviter erigendae Collegiatae attributa sunt « pro illius *Praeposituraе* et Canonicatuum huiusmodi dote illaque pro tempore obtinentium congrua sustentatione, *onerumque illis incumbentium supportatione* »: imo capitulares reditus in quotidianas distributiones et non in particulares praebendas distributi sunt, « ut Ecclesia *et animabus* accuratius servitium et obsequium praestari valeat ». Porro legitur in memorata iam supra causa *Salutiarum* coram Apostolica Signatura die 28 iunii 1916 acta: « Ex eo quod aliqua ecclesia erigatur in Collegiatam, censentur omnia eius bona, nisi omnino expressa fiat exceptio, transferri in ipsam Collegiatam » (« Acta Apostolicae Sedis », loc. cit., pag. 927).

Verum ad indicia recurrentes Patres habitualem curam Capitulo in casu insidere ex iuribus quoque arguerunt, quibus inde ab initio circa etiam actualem curam Canonici potiti sunt. Equidem non modo ipsi, prouti iam relevatum est, vix Canonicatum praevio examine aut concursu adepti ad confessiones sive fidelium in ecclesia sive infirmorum in parochia excipiendas tenebantur « ad mandatum Praepositi aut eo absente Praefecti chori », prouti legitur in veteribus constitutionibus, itemque ad alia sacramenta iisdem fidelibus administranda, et ita quidem ut dum hisce ministeriis incumberent praesentes in choro haberentur; sed insuper – quod certe est longe maioris momenti, – quoties collegialiter vocati funeribus intererant, omnes et singuli stolam induebant, cadaver aqua lustrali aspergebant et antiphonam « Si iniquitates » canebant nec non exsequialem missam praesenti cadavere, quam et in praesens canunt veluti alteri parochi.

At de Plebanali beneficio sicuti nulla expressa mentio habetur in Gregoriana Constitutione, ita silent Bullae collationis Praeposituraе dum, si adhuc exstaret, necessario de eo iisdem in Bullis mentionem fieri necesse erat.

Denegari tamen nequit ex adductis a Praeposito documentis constare reapse Praepositos reditibus frui bonorum quorumdam immobilium praeter capitularem portionem eidem attributam. Sed num haec bona veluti dotem constituentia paroecialis alicuius beneficii habenda sint incertum visum est Patribus. Legitur sane in relatione super statu patrimoniali ecclesiae S. Laurentii M. loci Giaveno ab ultimo Plebano et primo Praeposito sacerdote Jacobo Vallotti, paulo ante eiusdem ecclesiae in Collegiatam erectionem exarata, Plebanatum habere redditus sexaginta scutatorum qui redditus consistunt in praediis. Addit tamen relator eadem in ecclesia capellaniam erectam esse, cuius redditus ad annuos florenos quinquaginta sex computantur cum onere missam celebrandi nonnullis diebus festis et singulis diebus

Mercurii festo non impeditis. Recensentur deinde in relatione nonnulla praedia quae eadem saltem ex parte videntur quae uti ad Praeposituram pertinentia recensita deinde reperiuntur in relationibus a Praepositis successive exaratis; at haec veluti Ecclesiae propria non uti beneficii Plebanalis dos indicantur. In calce pariter alterius relationis a Praeposito Joanne Antonio Nicola super redditibus sibi propriis, nescitur quo anno sed certe sub initio saeculi elapsi redactae, haec leguntur: « Si deve notare che l'enorme sproporzione che passa tra i redditi e pesi (Praepositurae) proviene dalla diminuzione di un terzo e più che dovette soffrire contro il disposto delle leggi *la prebenda canonicale* che al Prevosto *serviva di congrua* ». Denique Praepositus Arduino, cum anno 1845 redditus sui beneficii recenseret, declaravit: « Non consta come questi beni immobili sieno pervenuti alla parrocchia ». Evidens autem est si bona eadem dotem constituissent antiqui beneficii paroecialis seu Plebanatus et hic proinde post Collegiatae erectionem in suo esse permansisset, latere id Praepositum non potuisse.

Praesumptio itaque in casu stat, iuxta quam in ecclesiis quae simul sunt Paroeciales et Collegiales retinetur, habitualem curam ad Capitulum, actualem ad eum qui eamdem curam exercet pertinere, ideoque censendum ecclesiae paroecialis S. Laurentii M. in Collegiatam erectionem evenisse praevia extinctione omnium aliorum beneficiorum, et proinde horum beneficiorum unionem noviter erectae Collegiatae vel bonorum eorumdem mensae capitulari fuisse pleno iure decretam, tum quoad temporalia nempe, tum quoad spiritualia, ita ut post ipsius Collegiatae erectionem unum novum ens extiterit parocialis et Collegiata ecclesia cum suo Capitulo, inter cuius membra reditus omnes eiusdem mensae capitularis partiendi erant, assignata tamen Praeposito portione aliquantulum pinguiore tum quia Praepositura est Capituli dignitas, tum in oneris compensationem curae actualis animarum, eadem proinde mensura qua Canonico Theologo.

Verum non pauca alia obiiciuntur, quae tamen praecipua, soluta difficultate ex permanentia Beneficii Plebanatus deducta, faciliter disiiciuntur. Quod enim vicarii paroecialis seu Praepositi nominatio ad Capitulum in casu non pertinuerit, sed ad iuris communis normam fieri debuerit, imo et per concursum, facile explicatur et ex eo quod Praepositura erat unica et prima Capituli dignitas, ab apostolica Sede proinde iuxta Cancellariae regulas conferenda, et ex eo quod si Canonicatus omnes in Capitulo Javensi prius praevio examine et postea praevio concursu conferendi erant, a fortiori id de Praepositura verificari debebat cui actualis animarum cura commissa erat. Sed insuper prout in causa *Salutiarum, Jurium*, coram Many, diei 1 iulii 1913 (S. Rom. Rotae Decisiones seu Sententiae, vol. V, pag. 398, n. 23) animadvertitur: « falsum est concursum supponere semper in beneficio parochiali quod ei subiectum est curam habitualem simul et actualem, et revera non raro occurrit beneficium aut praebendam cui cura tantum actualis immineat per concursum conferri, sive quia hoc praescriptum est in Bulla erectionis aut lege fundationis, sive quum id factum est ex erronea opinione aut pro meliori et securiori provisione curae animarum uti animadvertit De Luca, *De parochis*, cit. discept. 37, nn. 38–40 ». Aliunde prouti pariter adnotatur in alia causa *Taurinen. Jurium*, coram Parrillo,

diei 13 augusti 1925, si et post Concilium Tridentinum ad annum usque 1742 praevaluit sententia Dignitatum collationem ecclesiarum tum Cathedralium tum Collegiatarum quibus animarum cura immineret, ex cap. 18 *De Ref.* Sess. XXIV Concil. Trid., legi concursus non esse obnoxiam, illa praecipue ratione quia non datur vacatio ecclesiae vel potius quia in dicto cap. 18 Concilium Tridentinum non fecit expressam mentionem Dignitatum (Fagnan., lib. I, *Decret. De aetate et qualit. Praeficiendorum*, cap. « Cum sit ars », n. 26), haec sententia, edita Constitutione « Cum illud » Bened. XIV quod memorato anno 1742 evenit, sustineri amplius non potuit. Nam, prout docet Reclusius *De concursu*, P. I, tit. 2, n. 81, vi praedictae huius Constitutionis nec non alterius eiusdem Pontificis « Dum universi gregis », statutum fuit principium « Dignitates curatas in Cathedrali vel Collegiata ecclesia deberi per concursum, non secus ac reliquas parochiales ecclesias, provideri ». Iisdem rationibus explicatur electos Praepositos beneficii possessionem cepisse.

At Praepositi patronus instat ex Praepositorum relationibus de statu patrimoniali Praepositurae deduci paroeciales expensas fuisse ab iisdem Praepositis solutas, ex quo inferendum autumat non unum sed duo in Collegiata ecclesia S. Laurentii M. extitisse entia, Capitulum et,paroecia, eo vel magis quod haec postrema sub initio et sacrarium proprium distinctum ab illo Capituli habuit. At facile contra intelligitur cum de statuenda iuridica natura alicuius entis agitur, ad ea praesertim esse attendendum quae in actu erectionis ipsius entis fuerunt constituta. In Gregoriana Constitutione autem assignatio mensae capitulari omnium bonorum ae redituum Monasterii S. Michaelis de Clusa decreta fuit, « detractis prius et ante omnia ex illis tot reditus quot pro duobus Capellanis sacerdotibus ac clericorum aliorumque ministrorum ecclesiasticorum praedictae ecclesiae S. Laurentii illiusque chori et sacristiae servitio necessariorum et ad dicti Capituli nutum ponendorum et amovendorum ac fabricae et paramentorum, ornamentorum et luminariorum manutentione sufficiant ». Si quid igitur circa cultus expensas innovatum deinde fuit, id unice ex peculiaribus pactionibus Praepositos inter et Capitulum initis explicandum est, prouti reapse sive ex documento XXII anno 1663 exarato et a Praeposito producto eruitur sive ex quodam memoriali anno 1838 a Capitulo ad Vicarium Generalem Taurinensis Archiepiscopi oblato. Equidem constat ex hisce documentis, ex priore praesertim, annuente imo proponente ipso primo Praeposito Jacobo Valletti, conventionem hinc inde initam fuisse, in cuius vin cultus expensae pro medietate a Praeposito et a Capitulo respective solvendae erant. In decreto praeterea quod Taurinensis Archiepiscopus Aloisius Fransoni die 7 octobris anno 1839 emisit ad controversias adamussim dirimendas cultus expensarum causa Capitulum inter et Praepositum tunc exortas, sacrarii ecclesiae Collegiatae administratio unice et exclusive Capitulo concreditur.

Verum denique non est quoties de immutando paroeciae statu imo de ea dismembranda actum est, Capitulum non fuisse auditum. Id namque certe non evenit anno 1780, quo intra fines paroeciae S. Laurentii M. nova paroecia erecta est sub titulo S. Mariae Magdalenae. Tunc enim Capitulum duplici ex titulo in huius novae paroeciae erectionem consensit, et qua

Rector principalis paroeciae seu S. Laurentii Martyris, et quatenus dotem ex parte saltem constituit noviter erigendae paroeciae cui fructus Prioratus S. Michaelis cessit. Quod si aliter anno 1875 contigit, quo altera paroecia vulgo « La Sala » erecta fuit, prae oculis habendum est tunc a viginti annis Collegiatam ideoque et Capitulum civili lege fuisse suppressum.

At in dubio quaeritur quoque de *cura actuali* an pertineat ad Praepositum et quidem exclusis canonicis. Hac super re non nuda iuris praesumptio Praeposito favet, prouti de Capitulo visum supra est circa habitualem animarum curam, sed explicita iuris tum veteris tum novi dispositio. Id iam ex iis scatet quae de distinctione inter parochum habitualem et actualem allegata supra sunt. Revera dum de vicario curato dicitur curae animarum exercitium illi competere ulla absque limitatione, de parocho habituali asseritur ipsum nec iure nec de facto in eodem curae exercitio se ingerere posse, sed tantum providere debere ut per aliquem cura animarum exerceatur. Quod de cetero iis plene cohaeret quae Tridentini Patres cap. VII, Sess. VII, *De Ref.*, stauerunt.

In Codice J. C. can. 452, § 2 edicitur: « Persona moralis cui paroecia sit pleno iure unita habitualem tantum curam animarum retinet, servato quod ad actualem spectat praescripto can. 471 », qui § 4 decernit: « Ad vicarium *exclusive* spectat *tota* animarum cura cum omnibus parochorum iuribus et obligationibus ad normam iuris communis et secundum probata statuta dioecesana vel laudabiles consuetudines », quae evidenter haud eae esse possunt quae legem ipsam evertant, seu exclusivum vicarii ius ad universam animarum curam coarctent.

Cohaerenter ad haec in canone 415 quo normae statuuntur quibus relationes iuridicae parochum inter et Capitulum in ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis reguntur, § 4 statuitur: « Nec parochus capitulares, nec Capitulum paroeciales functiones et munera impediat »: cui legi, prouti et ceteris normis eodem canone 415 statutis, binae tamen dantur exceptiones, « nisi aliud ferat Sedis Apostolicae indultum aut particularis conventio in erectione paroeciae inita et a loci Ordinario legitime probata ». Quoties igitur prouti in casu una vel alia ex duabus hisce exceptionibus non verificetur, qui in Cathedralibus vel Collegiatis ecclesiis paroeciali munere fungitur, in hoc sui muneris exercitio a Capitulo praepediri nullatenus potest. Attamen cum iuxta canonis 5 praescripta, contra canones Cod. J. C. admittantur vel tolerari potius possint consuetudines quae quo tempore Codex promulgatus est viguerint et una simul fuerint centenariae vel immemorabiles, dummodo iisdem canonibus non fuerint expresse reprobatae, cumque de hac reprobatione nulla in canone 415 mentio habeatur, videndum necessario est an quae Canonici actores ex usu vel consuetudine contra exclusivum Praepositi ius ad universam actualem curam allegant, sint necne admittenda.

Et reapse vidimus iam supra denegari non posse canonicos noviter erectae Collegiatas inde ab initio aliquo modo et ipsius curae exercitii participes fuisse. Verum si res intimius consideretur fateatur oportet ad actualem animarum curam quod attinet, hoc unum ius Capitulo recognoscendum esse, quod nempe quoties ad funera interveniat eo quod invitatum, missae exsequialis celebratio praesente cadavere ad ipsum spectet. Quin imo ad annum

usque 1907 in funeribus ad quae Capitulum vocabatur, ius erat singulis canonicis induendi stolam, defuncti cadaver aspergendi nec non canendi antiphonam « Si iniquitates ». Haec iura circa funera adeo manifeste ad Capitulum pertinent vel spectarunt ut eadem ipsemet Praepositus eiusque asseclae admiserint vel saltem plene denegare ausi non sint, prouti inferius clarius adhuc videbitur.

Verum quidem est Canonicos actores ad vindicanda Capituli iura circa actualem animarum curam in eo quoque institisse, quod Canonici omnes ad fidelium confessiones excipiendas ex Bulla ipsa erectionis Collegiatae tenentur, itemque ex primaevis capitularibus constitutionibus ad alia quoque sacramenta iisdem fidelibus administranda ea sub lege ut praesentes in choro haberentur dum hisce muneribus incumberent: at censuerunt Patres haec munera Canonicis demandata vel commissa fuisse unice ut adiutricem operam ipsi Praeposito praestarent prouti Canonicis in genere et in canone 415, § 5, iniungitur.

Itaque cum in praesens Canonici iure induendi stolam, aspergendi aqua lustrali cadaver et canendi antiphonam « Si iniquitates » in funeribus ad quae collegialiter vocentur uti non possint, ob S. Rit. Congregationis praescripta, quae vetant ne stola deferatur supra cappam sed vel supra superpellicium vel cum pluviali. (*Maceraten.*, 23 martii 1889, n. 3794,) haud tanti faciendum existimarunt Patres aliud ius quo iisdem in funeribus Canonici potiuntur canendi nempe missam exsequialem et relativa emolumenta percipiendi, ut exinde Praeposito ius plenum et exclusivum ad animarum curam exercendam denegarent. Sane etsi in canone 415 de consuetudinibus contrariis normis eodem canone statutis nulla habeatur expressa reprobatio, in canone tamen 460, § 2 aperte edicitur: « in eadem paroecia *unus* tantum debet esse parochus *qui actualem animarum curam gerat, reprobata contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio* ». Sicut autem in Civitate salus publica suprema lex est, ita in Ecclesia animarum salus: notum autem est effatum: « communiter negliguntur quae communiter geruntur ». Vix tandem recolere praestat consuetudines etiam centenarias vel immemorabiles haud comparari posse duabus exceptionibus supra commemoratis quibus normae circumscribuntur canone 415 statutae, « nisi aliud ferat Sedis Apostolicae indultum aut particularis conventio in erectione paroeciae inita et a loci Ordinario legitime probata », vel sub hisce intelligi, itemque agi in casu de vera consuetudine ideoque haud invocari posse dispositiones canonis 4: « Jura aliis quaesita integra manent nisi huius Codicis canonibus expresse revocentur », prouti fuse in iam supra memorata alia causa *Taurinen.* coram Parrillo diei 13 augusti anni 1925 ostenditur, canonem 5, ex quo consequitur in Ordinarii facultate esse obiectam consuetudinem submovere, vel tolerare, prouti in sequenti dubio.

III. Quaeritur in tertio dubio: « Quaenam sint sive iura sive emolumenta quae quoad funera respective spectent Capitulo et Praeposito in casu ».

Ad ius quod spectat notum est, in genere parochi esse funera suorum parochianorum persolvere et emolumenta exinde provenientia percipere. Hinc in memorato iam supra canone 415, § 2, n. 3, decernitur ad parochum spectare « functiones paroeciales peragere de quibus in canone 462 » quas inter

n. 5, funera numerantur parochianorum ad normam canonis 1216 seu nisi iidem fideles vel potius parochiani aliam funeris ecclesiam sibi legitime elegerint: « ad Capitulum, iusta funebria persolvere in ecclesia ad normam iuris peragenda non exclusa missa exsequiali, spectat tantum in casu quo de funere agatur alicuius dignitatis vel canonici etiam honorarii tantum, vel beneficiarii ».

Nihilominus antiquo saltem iure quoties in Collegiata et paroeciali aliqua ecclesia animarum cura habitu pertinebat ad Capitulum, ad ipsum spectabant quoque funeralia uti legitur in una *Comen. Funerum* S. R. Rotae quam citat Pignatellius, *Consultationes Canonicae*, consult. 150, nn. 11-17.

Attamen si quae in actis prostant consideremus, haud videtur Capitulo Javensi ius in genere recognoscendum parochianorum funera persolvendi et relativa emolumenta percipiendi. Equidem vero ex capitularibus constitutionibus deducitur Capitulum ad funera sicuti ad processiones et publicas supplicationes intervenire non posse, nisi fuerit invitatum, quod de cetero de communi iure esse binae demonstrant decisiones S. Rit. Congr. *Interamnen.*, 12 ianuarii 1641 (727) et *Licien.*, 11 maii 1641 (759).

Nec in contrarium quid probat cum Capitulum intervenit, Canonicos omnes, Praeposito non excepto, interesse debere iuxta easdem constitutiones cum habitu canonicali et incedere praeeunte capitulari Cruce. Haec omnia enim sunt de iure communi, sicuti de communi iure est quod interveniente in funeribus Capitulo vel Cathedrali vel Collegiali, non parochus sed dignior Capituli incedat cum stola et pluviali. Cfr. Decretum generale S. Rit. Congr. diei 23 aprilis 1895 (3854) praecedentes eiusdem S. Congr. decisiones hac de re complectens.

Intelligitur ex his omnibus ipsum Capitulum vel canonici Panero patronum aperte fateri tandem aliquando, non ad omnia funera peragenda ius inesse Capitulo, sed tantum ed ea persolvenda ad quae invitatum fuerit aut quae ad ipsum pertinent vi canonis 415, § 2, n. 3, quibus in funeribus praeter alia de quibus mentio hucusque facta est omnibus Capitulis propria, ius quoque missam celebrandi praesente cadavere Javensi Capitulo recognoscendum est, prouti et ex documentis a Praepositi patrono adductis evincitur et ab iis ipsis confirmatur quae canonici Baudino et Barone Praeposito in hac causa contra ceteros adhaerentes in iurata depositione declararunt. Etsi enim prior dixerit: « Quanto alla messa "praesente cadavere" dal 1900 fino al presente dichiaro con giuramento che la cantò sempre il Canonico Preposto, e quando ne era impedito per qualche causa *pregava qualche Canonico a cantarla* », addidit tamen: « L'offerta che si faceva per questa, che variò secondo i tempi, veniva consegnata dal Prevosto al Can. Prefetto di Sagrestia, ed a suo tempo veniva distribuita ai Canonici in parti uguali tra i presenti compreso il Prevosto »: quae demonstrant missam fuisse a Praeposito celebratam quatenus ipse est Capituli caput vel praeses. Sed licet in desuetudinem abierit circa funera utique ad quae intervenit, recognoscendum quoque est Capitulo ius quo ad annum usque 1907 uti potuit, prouti explicatum iam supra est, et quo singuli canonici veluti si unusquisque esset alter parochus, induebant stolam supra cappam et canebant antiphonam « Si iniquitates » simulque cadaver aspergebat aqua lustrali.

Quoad emolumenta non alia videntur Capitulo assignanda nisi quae eidem cum intervenit offeruntur a fidelibus sive pro praesentia sive pro missa solemniter celebranda, tum in cereis tum in certa pecuniae quantitate, de quibus mentio fit in ipsis Praepositorum relationibus super Praepositurae statu occasione visitationis dioecesanae exaratis. Et alia non esse emolumenta Capituli propria in funeribus ad quae vocatur nisi haec, ex interrogationibus quoque patet quae iuxta actorum preces testibus auditis propositae sunt.

Ceterum indicem funeralium taxarum conficere Ordinarii est (can. 1234–1235), quare merito conqueruntur canonici actores actualem Praepositum suo arbitrio funerum classes immutasse vel novas induxisse.

Ratio autem non deest ob quam non omnium funerum emolumenta Capitulo cesserunt et cedunt, etsi habitualis animarum cura ad ipsum pertineat. Per se enim iuxta Gregorianam Bullam ut iam adnotatum est, omnes Sacrarii vel cultus expensae a Capitulari mensa ferendae fuissent. At id de facto contra non evenit, sed Capitulum inter et Parochum pacto ad hoc inito vel saltem de communi consensu partitae sunt: hinc et non omnium funerum emolumenta in Capituli favorem cesserunt.

Illud denique adnotandum existimarunt, Patres, iuribus circa funera in vim consuetudinis Capitulo recognitis Capitulum ipsum uti posse, quatenus Taurinensis Praesul ea toleranda ad normam canonis 5 censuerit (1).

IV. Solutio dubii quod quarto loco proponitur: « An Capitulo vel Praeposito qua parocho ius recognoscendum sit repraesentandi paroeciam in casu », necessario ex solutione dubii secundi consequitur. Evidenter enim prouti legitur in causa *Salutiarum*, coram Many, iam alias memorata (loc. cit., pag. 419, n. 81) « iure naturali simul et canonico ille solus repraesentare potest aliquam communitatem et in genere aliquod ens iuridicum, qui est caput eius ». Quare cum in Collegiata et paroeciali ecclesia S. Laurentii M. loci Giaveno Capitulo spectet cura habitualis et non Praeposito, eidem Capitulo, quod consequenter officium vel onus habet beneficii paroecialis iura tuendi, ius recognoscendum est paroeciam repraesentandi. Quo quidem iure Capitulum aetatum decorsu usum esse documenta demonstrant quae exhibita sunt, prouti in arbitrali sententia evincitur.

V. Quod est ad congruae supplementum Praeposito, vel Capitulo attribuendum ut inter omnes capitulares distribuatur, de quo in dubio quinto, autumarunt Patres esse cum Arbitris consentiendum, qui a re definienda abstinuerunt, « trattandosi di dare una nuova designazione a beni parzialmente restituiti ». Siquidem ad similem quaestionem alias iam propositam a S. N. T. in una *Sorana*, coram Alberti (1 febr. 1913) responsum fuit eam iudicio S. Congr. Concilii esse subiiciendam ad normam decreti « Ad dirimendas » (2).

(1) La risposta al dubbio fu dunque :« Iura et emolumenta omnia quoad funera spectare ad Praepositum–parochum. exceptis funeribus quae ad Capitulum spectant ex canone 415, § 2, 3°, itemque quobus Capitulum insitatum fuerit ».

(2) Fu dunque risposto al dubbio: « Resolutionem spectare ad S. Congregationem Concilii ».

VI. Sexto loco quaeritur: « Utrum Capitulo an Praeposito qua parocho spectet regimen ecclesiae Collegiatae et administratio sive oblationum quae in ea colliguntur sive legatorum etiam paroeciae inscriptorum, iis exceptis quae respiciunt functiones stricte paroeciales ».

Uti supra ostensum est, ita ecclesia paroecialis S. Laurentii Martyris in Collegiatam erecta fuit, ut in ea unum exstaret ens, idest Capitulum. Necessario proinde ecclesiae regimen et administratio omnium bonorum ad ipsam pertinentium nonnisi uni Capitulo tribui potest et debet. Siquidem etiam quoad curam animarum et beneficium paroeciale, si excipiatur curae ipsius exercitium, quod integrum spectat ad vicarium cum congrua fructuum assignatione, cetera omnia spectant ad illud ens quod habitu curam habet seu beneficium paroeciale in titulum possidet. Quare in iam pluries memorato canone 415, § 3 decernitur absolute: « Ad capitulum spectat.... ecclesiae curam habere eiusque bona administrare cum piis legatis ». Et rursus in canone 1182, § 1: « Administratio bonorum quae destinata sunt reparandae decorandaeque ecclesiae divinoque in eadem cultui exercendo pertinet, nisi aliud ex speciali titulo vel legitima consuetudine constet, ad Episcopum cum Capitulo, si de ecclesia Cathedrali agatur, ad Capitulum ecclesiae Collegiatae, si de Collegiata ». Et de oblationibus in eodem canone 415, § 2, n. 5 decernitur: « Spectat ad parochum.... eleemosynas in bonum paroecianorum colligere, easdem directe vel indirecte oblatas recipere, administrare et secundum offerentium voluntatem distribuere ». In paroecianorum bonum dicitur in canone et non in paroeciae bonum, nam prouti habet memoratus canon 1182, § 2, « etiam oblationes factas in commodum paroeciae aut missionis aut ecclesiae sitae intra paroeciae vel missionis fines administrat parochus vel missionarius, *nisi agatur de ecclesia propriam administrationem habente distinctam ab administratione paroeciae vel missionis, aut nisi aliud ferat ius particulare aut legitima consuetudo* ».

Ubi illud animadvertendum videtur ecclesia Cathedralis aut Collegiatae regimen spectare ad Capitulum vel si Capitulum nullum omnino ius circa animarum curam habeat, prout et ex relatis canonibus deducitur et pluries sive a S. Congr. Rit. sive a S. Congr. Concillii statutum fuit. E.mus Gennari *Questioni Canoniche*, pag. 459, n. 379.

Intelligitur proinde quod in Javensi Capitulo inter alia officia canonicorum propria illud quoque haberetur Custodis cuius munus erat, « vestium et vasorum sacrorum et ornamentorum omnium altarium et totius ecclesiae supellectilis custodiam habere, eorum munditiei nitorisque ecclesiae luminum cerae et olei curam tenere, atque praeparationem vini, hostiarum, candelarum, cereorum, caeterorumque e sacristia ad divina officia necessariorum »; itemque quod in decreto Archiepiscopi Taurinensis Fransconi die 7 octobris 1839 dato ita statuatur: « L'amministrazione della Sagrestia dell'insigne chiesa Collegiata e parrocchiale del luogo di Giaveno ridotta come trovasi ad una sola, apparterrà d'ora innanzi *intieramente* al prefato Capitolo nella persona di quello fra li signori Canonici che verrà annualmente dallo stesso Capitolo a tale ufficio nominato ». Quod decretum eo magis est attendendum quod ad tempus usque Praepositi Nicola bina habebantur sacraria, alterum pro parocho pro Capitulo alterum, ad invicem separata et indipendentia.

Quae autem ax adverso obiiciuntur nihil probant, prouti in sua sententia relevant Arbitri. Ita inter alia quod anno 1883 unus Praepositus Bernero egerit cum Municipio Javensis Praesidibus pro ecclesiae Collegiatae ampliatione, facile explicatur eo quod tunc temporis Capitulum civiliter non existebat, ideoque agere cum civilibus auctoritatibus non poterat. Nihilominus Canonici anno 1889 adhuc superstites, fatentibus eodem actuali Praeposito et Canonicis eidem adhaerentibus, institerunt apud Praepositum Berbero imo voluerunt ab ipso, « che nella nuova chiesa costruisse un'altra Sagrestia della forma e della dimensione di quella che si ha, che provvedesse anche un archivio capitolare ed un locale per le paramenta della Sagrestia » (1).

VII et VIII. Binae quae modo subsequuntur questiones, septimo et octavo loco positae, arcte sive inter se sive cum praecedenti connectuntur: de usu namque praecipue Collegiatae ecclesiae agunt eiusque altaris maioris, seu de functionibus quas, in eadem Collegiata ecclesia, peragendi ius sit Praeposito qua parocho, et ita se habent: « VII. An Praepositus qua parochus ius habeat celebrandi sive in ecclesia Collegiata sive in aliis ecclesiis intra paroeciae fines existentibus functiones non stricte paroeciales in casu; VIII. An Praepositus absque Capituli venia possit sacra peragere quae ad ipsum privative qua parochum spectant in Altari maiori ecclesiae Collegiatae in casu ». Has vero quaestiones ad tramitem canonis 415 esse solvendas censuerunt Patres. Revera in hoc canone circa functiones sacras quas iure Parochus in ecclesiis una simil parochialibus et vel Cathedralibus vel Collegiatis celebrare potest, § 2, n. 3 et 4 ita decernitur: « Ad parochum spectat... functiones paroeciales peragere de quibus in canone 462 », stricte nempe paroeciales, exceptis tamen funeribus alicuius ex Capituli membris, quae a Capitulo persolvenda sunt prouti in responsione ad III dubium visum est, « alias functiones non stricte paroeciales.... quae in paroeciis fieri solent, modo non impediatur chorale servitium, nec Capitulum easdem functiones peragat ». Hisce igitur intra limites Praeposito ius est in Collegiata ecclesia praeter stricte paroeciales eas functiones peragendi quae et in aliis paroeciis celebrentur. Quod si abusus exinde oriantur, ad eos tollendos providet idem canon 415, dum in § 4 decernit: « Nec parochus capitulares, nec Capitulum paroeciales functiones et munera impediat: exorto autem conflictu quaestionem dirimat Ordinarius ».

Ceteris autem in ecclesiis quae intra paroeciae fines existunt, nullum ius ex paroeciae saltem titulo (de quo unice quaeritur in casu) competit Praeposito circa sacras functiones non paroeciales. De eadem sane hac quaestione agens E.mus Gennari in supra iam memorato suo opere *Questioni Canoniche*, n. 130, pag. 179, postquam recoluerit parochorum iura in Sodalitatum ecclesiis quae intra paroeciae ambitum sint exstructae, definiri noto decreto Urbis et Orbis a S. Rit. Congr. die 10 decembris 1703, edito, ita merito concludit, parochis iisdem in ecclesiis hoc unum licere: « impedire che non si ledano in esse i diritti meramente parrocchiali ». Notum namque est inter

(1) Di qui la risposta: « Regimen ecclesiae competere Capitulo, ad normam iuris administrationem vero legatorum sive oblationum competere Capitulo et Praeposito qua parocho, intra fines canonis 415 § 2, n. 5, § 3, 3°.

alia parochis ius esse eorum suorum parochianorum funera persolvere qui adscripti sint alicui Confraternitati cuius oratorium vel ecclesia intra paroeciae fines existat, etsi haec funera in Confraternitatis ecclesia celebrentur. Negative proinde esse per se respondendum ad alteram septimi dubii partem censuerunt Patres. Ex iis enim quae hinc inde a partibus deducta sunt, non de ecclesiis stricto sensu filialibus agi in themate videtur, sed ad summum de ecclesiis quae improprie tantum tales dicuntur, eo quod nempe de facto in paroeciae territorio extructae fuerint, haud tamen ex Collegiatae aut paroeciae bonis vel eidem paroeciae unitae.

Documenta quae in sui favorem exhibuit Praepositus vel funera sodalium unius aut alterius Confraternitatis respiciunt quae uti notatum est, ex communi etiam iure ad ipsum qua parochum spectare possunt, vel si alias functiones, nudum factum recolunt, quin titulus sciatur ex quo factum ipsum originem duxerit. Plane autem patet quavis in ecclesia cuique licere functiones sacrae peragere ad Rectoris eiusdem invitationem.

Sed ut ad octavum dubium transeamus, prouti ex canone 415 Praeposito qua parocho ius recognitum est in Collegiata ecclesia sacras functiones etiam non paroeciales celebrandi, quae in paroeciis fieri solent; dummodo chorale servitium non impediatur nec Capitulum easdem functiones celebret, ita pariter ex eodem canone ius illi est recognoscendum in altari quoque maiori eiusdem ecclesiae Collegiatae eas functiones peragendi quae privative ad ipsum pertinent, paroeciales nempe. Hae enim ita uni parocho in Cathedralibus vel Collegiatis ecclesiis, quae paroeciales una simul sunt, eodem in canone tribuuntur, ut Capitulum moneatur ne paroeciales functiones et munera impediat, imo excitentur Capitulares ut adiutricem operam potius parocho impendant. Quoties igitur chorale servitium non impediatur nil vetat quominus Praepositus ad sacras functiones peragendas, quae exclusive ad ipsum spectant, maiori quoque Ecclesiae altari utatur. Contraria namque consuetudo qua contenditur Praepositum nonnisi peculiari in altari a tribus Regibus nuncupato functiones sibi qua parocho proprias peragere posse, non ita concludenter probata visa est Patribus, ut ob eam apertis canonis 415 dispositionibus derogandum censuerint (1).

IX. Ad sequentem seu nonam itaque quaestionem procedendum est quae de missis est quas Canonici diebus festis in Collegiata ecclesia celebrare tenentur. Enimvero in decreto quo die 15 martii anno 1890 septem novi Canonicatus in eadem Collegiata ecclesia erecti fuerunt, et quo in pluribus veteres Capituli constitutiones immutatae sunt, art. 2, lett. *a*) edicitur: « Oltre il Prevosto e l'Hebdomadario, due dei Canonici saranno obbligati a celebrare per turno la santa Messa nella Collegiata in tutti i giorni festivi secondo un orario da formularsi dal Capitolo e da presentarsi all'Ordinario ». Quatuor proinde Missae diebus festis a capitularibus in Ecclesia celebrandae sunt; at quum quandoque et Praepositus sit hebdomadarius, nisi alius in missae celebratione quae omnibus diebus festis ad ipsum spectat eius vices

(1) Il dispositivo della risposta porta: « Ad III. *Affirmative*, intra fines canonis 415, § 2, 4° in ecclesia collegiata; *negative* quoad ceteras ecclesias, salvis iuribus alio titulo quaesitis. Ad VIII. Affirmative, firmo tamen canone 415, §. 4.

suppleat, missae fiunt tres. Cuinam igitur subrogationis onus incumbit, Praeposito an Canonicis? Et quaestio dirempta fuisse videtur successivo decreto diei 17 novembris 1890 eiusdem Taurinensi Archiepiscopi tunc temporis E.mi Alimonda, qui in approbatione horarii missarum sibi a Capitulo exhibiti animadvertit: « Quando per un fatto che solo non dipenda dalla volontà del Canonico Prevosto, seu ut vulgo dicitur, di forza maggiore mancasse la messa prima ed ultima o tutte e due, come sarebbe, per es., se il Canonico Prevosto dovesse per turno cantare messa, il Canonico Prevosto od il Vicecurato fosse infermo, o l'uno o l'altro avesse per obbligo e consuetudine di celebrare la messa in qualche Cappella, in questi casi quello o quelli dei Canonici cui toccherebbe per turno celebrare la messa verso le ore 6 o 7 dovrà celebrarla all'ora della Messa prima e della Messa ultima ». E.mus Alimonda itaque, qui prae ceteris mentem suam in condendis novis Capituli constitutionibus cognoscere vel interpretare poterat, in hypothesi quod Praepositus esset hebdomadarius vel alia de causa missam celebrare nequiret, non aggravavit Canonicorum onus, sed immutavit tantum horam qua missae ab ipsis celebrandae erant. Ex successivo proinde decreto Vicarii Generalis Taurinensis diei 18 iulii anni 1903 id unum deducendum esse arbitrati sunt Patres, cura ipsius Praepositi esse providendum ut alius eius vices suppleat quoties una vel altera de causa ipse per se quoad missae celebrationem Decreto E.mi Alimonda satisfacere nequeat (1).

X. Dubium decimum ita se habet: « An Praepositus durante sua hebdomada possit ad suas vices gerendas in choro alium delegare Canonicum qui teneatur et ipse ad chorale servitium obeundum aut alium sacerdotem licet non capitularem, quin amittat distributiones quotidianas; easdemque distributiones suas facere, quando celebrationi missae non adsit, in casu». Priori ex duabus quaestionibus quae hoc dubio proponuntur respondet canon 419, qui concedit quidem ut in casibus particularibus iusta ac rationabili de causa Capitulares possint ad invicem se subtistuere in chorali munere adimplendo, dummodo tamen « substitutus eodem tempore servitio chori non sit adstrictus et sit in eadem ecclesia canonicus si agatur de supplenda vice canonici, beneficiarius si de beneficiarii »; sed id tantum « in ecclesiis in quibus non omnes simul choro intersunt » quod in ecclesia Collegiata Javensi non evenit; alteri vero canon 420. Revera § 1, n. 4 huius canonis statuitur excusari a choro ita ut percipiant fructus praebendae ac distributiones quotidianas « vicarius paroecialis aliusve e Capitulo sive parochus sive Coadiutor ab Episcopo deputatus dum paroecialibus vacat officiis », quos tamen haud inter eos numerantur qui iuxta § 2, eiusdem canonis distributiones percipiunt quae inter praesentes dicuntur, salva semper expressa contraria fundatorum voluntate (2).

XI. Subsequitur undecimo loco quaestio de Canonicorum domo quam Municipii Javensis Praesides inde fere a Collegiatae erectione se pro ipsorum Canonicorum habitatione extructuros promiserant, quam reapse nunquam

(1) Si confronti col dubbio, sopra pag. 135 n. 10, la risposta « Affirmative ».

(2) Quindi fu risposto: « Negative, quoad facultatem substitutionis, quoad distributiones vero, standum canoni 420, § 1, 4°, et § 2.

aedificarunt, sed eius loco summam quotannis libellarum biscentum et quinquaginta ad civilem usque eiusdem Collegiatae suppressionem seu ad annum usque 1855 solverunt, inter Canonicos utique, Praeposito excepto, partiendam, quod onus tamen iidem Municipii Javensis Praesides deinde civilibus legibus innixi redemerunt. Instant itaque Canonici actores, Praeposito refragante, ut quemadmodum prioribus annis post civilem suppressionem ad annum usque 1880 peractum est, e communi massa, antequam inter omnes Capitulares distribuatur, detrahantur lib. biscentum et quinquaginta easque inter Canonicos dividantur, Praeposito tamen excepto, utpote qui paroecialem domum semper habuit et adhuc habet satis amplam adeo ut ex parte aliis eam locet.

Verum non immerito animadvertit Praepositi patronus haud huius culpae tribuendum esse quod Canonici amiserint peculiare hoc emolumentum. Instat nihilominus Canonici Panero patronus, Praepositos onus in se suscepisse reparationum quae in canonicali domo aetatum decursu occurrere potuissent. At animadverterunt Patres vel si daretur ita res se habuisse, de quo non constat, cum tamen domus pro Canonicorum habitatione nunquam aedificata fuerit, onere harum reparationum Praepositi gravati nunquam revera fuerunt.

Jure merito insuper animadvertitur in arbitrali sententia, summam de qua agitur viginti quinque tantum annorum spatio fuisse e communi massa detractam post civilem Collegiatae suppressionem et in Canonicorum favorem, Praeposito excepto erogatam, quod tempus insufficiens est (can. 1511, § 2) ad praescriptionem gignendam (1).

XII. Sive in veteribus Capituli Javensis constitutionibus sive praesertim in novis anno 1890 conditis, Canonicis Capituli eiusdem onus impositum fuit adiutricem operam Praeposito qua parocho navandi in catechesi tum pueris tum adultis tradenda: « Tutti pure saranno tenuti ad aiutare il parroco nei catechismi degli adulti e dei fanciulli », ita decretum E.mi Archiepiscopi Alimonda diei 15 martii anni 1890 quo Capitulum instauratum iterum fuit. Mirum proinde est Canonicos actores qui se de ipsa actuali animarum cura participare contendunt, duodecimam hanc proposuisse quaestionem: « An Praeposito ius sit praecipiendi ut Canonici eum adiuvent tempore quadragesimali in catechesi tradenda hora qua choro adesse deberent, quin tamen iidem distributiones amittant in casu ». Attento namque canone 415 nec de eo dubium exoriri poterat quo tempore vel qua hora catechesis traditio fieri debebat. Revera § 4 eiusdem canonis decernitur catecheticam instructionem sicuti Evangelii explicationem *hora fidelibus commodiore* semper habendam esse; de qua re evidenter iudex in primis nequit esse nisi parochus; quod si in Ecclesiis ubi adest Capitulum hac de causa oriatur conflictus, statuitur eodem canone quaestionem esse ab Ordinario dirimendam. Sed insuper et illud certum est, Canonicos catecheticae instructioni operam navantes veluti choro praesentes in casu habendos esse, tum quia id iam in veteribus constitutionibus sancitum erat, tum iuxta canonem 420, § 1, 10°. Equidem ibi dicitur « de consensu Capituli », sed hic in casu deesse nequit

(1) Il dubbio XI (cfr. sopra pag. 135) fu risoluto quindi con un *Negative.*

ideoque est necessario supponendus, cum de onere agatur Canonicis ex ipsa lege fundationis canonicatuum imposito.

XIII. Superest novissimum dubium: « An et quibus distributionibus Canonici ius habeant tempore vacationum in casu ». Facile autem patet huic dubio esse negative respondendum ad tramitem canonis 418, § 3. Vel si adesset enim contraria consuetudo haec ceu iuris corruptela submovenda foret ad normam canonis 5.

LEGGI E DISPOSIZIONI GOVERNATIVE

Circolare 30 ottobre 1930, n. 3719, del Ministro delle Finanze per l'applicazione del Concordato relativamente ad Enti di Culto. — Per effetto del Concordato 11 febbraio 1929 tra la Santa Sede e lo Stato italiano, approvato con legge 27 maggio 1929, n. 810, è confermata la personalità giuridica degli Enti ecclesiastici già riconosciuti dalle leggi italiane ed è anche ammesso il riconoscimento della personalità giuridica agli Enti ecclesiastici già colpiti dalle varie leggi di soppressione che si ricostituiscono, alle fondazioni di culto ed infine nuovi Enti ecclesiastici di qualsiasi natura che saranno eretti dall'Autorità ecclesiastica secondo le norme del Diritto Canonico.

Il principio informatore della nuova condizione giuridica accordato agli Enti ecclesiastici è stato in modo inequivoco e preciso enunciato da S. E. il Capo del Governo nella relazione presentata alla Camera dei deputati il 6 aprile 1929–VII (« Atti parlamentari » n. 134).

« Lo Stato *temperando* la severità delle leggi eversive ammette nell'articolo 29 il *riconoscimento della personalità giuridica* alle chiese aperte al pubblico, che già non l'abbiano, alle associazioni religiose, che abbiano la loro sede principale nel Regno, alle provincie religiose italiane delle associazioni aventi sede all'estero ed alle fondazioni di culto, purchè consti che rispondano alle esigenze religiose della popolazione ».

« Questo riconoscimento non importa certo restituzione dei beni avocati allo Stato in virtù delle leggi di soppressione e *non implica un pericolo di costituzione di un vasto patrimonio immobiliare sottratto alla circolazione dei beni ed alle esigenze moderne del progresso agrario* ».

Pertanto e dalla lettera e dallo spirito degli Accordi Lateranensi si deduce:

a) che le nuove norme circa la personalità giuridica degli Enti ecclesiastici hanno efficacia dal 7 giugno 1929, giorno in cui entrò in vigore il Concordato collo scambio delle ratifiche;

b) che lo Stato italiano ed i terzi conservano i diritti sorti in virtù e sotto l'impero delle leggi di soppressione e devono sopportare gli oneri loro imposti dalle leggi medesime.

***

